

# **Decretum laudis de la Sociedad Sacerdotal de la Santa Cruz y Opus Dei como Instituto Secular de derecho pontificio; 24-II-1947.**

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

17/01/2012

## DECRETUM

Primum Institutum Saeculare, quod statim ac prodiit Constitutio Apostolica "Provida Mater Ecclesia", a SS.mo Domino Nostro Pio, Divina Providentia PP. XII, die altera Februarii huius anni subsignata, Laudis Decretum meruit, est SOCIETAS SACERDOTALIS SANCTAE CRUCIS et OPUS DEI, breviato autem nomine Opus Dei nuncupata .

Opus Dei a Rev.mo D. Iosepho Maria Escrivá de Balaguer, viro tam pietate quam doctrina atque apostolico zelo insigni, exordium in Dioecesi Matritensi habuit. A primis sacerdotii sui annis, Doctor Escrivá de Balaguer, qui vix inter clericos cooptatus Moderatorem Seminarii Sancti Francisci a Paula Caesaraugustae egerat, in hac civitate prius, et ab anno post Christum natum MDCCCCXXVII Matriti, dum

studia ad Lauream Iuris Civilis  
consequendam peragebat, posthac  
vero sine intermissione, variis  
ministeriis sacerdotalibus,  
humilioribus praecipue in suburbio,  
magna sui ipsius abnegatione  
functus est. .

Dum his impigre vacabat, Divina  
Providentia per legitimos Superiores  
ecclesiasticos novum opus quasi  
manu ducente, Dr. Escrivá de  
Balaguer ad apostolatum inter  
laicalis Universitatis et Scholarum  
Superiorum Matritensium alumnos  
se fortiter vocatum atque suaviter  
motum sensit. Cum progressu  
temporis hanc vocationem a Domino  
datam esse eventus atque fructus  
non dubie comprobare viderentur,  
invocata et obtenta venia ab Exc.mo  
Episcopo Matritensi, die Angelis  
Custodibus sacra, II Octobris anni a  
nostra reparata salute  
MDCCCCXXVIII, Operis Dei ima atque  
solida fundamenta jacta sunt. Hoc

satis felici titulo, quod omnibus  
humiliter fidenterque innuere  
volebat non de opere humano agi,  
sed de sacro opere Dei, parva  
Societas operiebatur ad apostolatum  
inter alumnos Universitatis atque  
doctiores viros exercendum, ac per  
ipsos deinde in totum intellectualium  
et dirigentium coetum dilatandum.  
Satis apud omnes constat quam  
gravia fuerint ac difficilia tempora  
illa in Hispania, sive ante bellum  
civile, sive immani hoc bello  
flagrante ac persecutione religiosa  
acriter saeviente: verumtamen Opus  
Dei, ut pia consociatio benevolentia  
ac benedictione ecclesiasticae  
Auctoritatis per plures annos  
(1928-1940) facto existens, ac de  
labore potius quam de ordinatione et  
formis canonicis nondum sollicita, in  
coetu intellectuali prudenter selecto  
et accuratissime educato, spiritualem  
transformationem prius indeque  
vere apostolicam, silenter sed intense  
ac tenaciter perficere conabatur.

Pedetentim interea Instituti  
character iuridice delineatus fuit.  
Post diuturnas moras multasque  
probationes Opus Dei, qua verum Dei  
opus (Act. V, 39), superatis non parvis  
neque paucis, etiam bonorum,  
contradictionibus, succrevit et  
consolidatum est. Deinceps  
acesserunt ecclesiasticae  
recognitiones atque approbationes.  
Die XIX Martii anni MDCCCCXXVXI  
Episcopus Matritensis ad + Piae  
Unionis Opus Dei redegit, pauloque  
post, cum novae satisque rapidae in  
dies ascensiones et expansiones  
supernaturalem Instituti efficaciam  
confirmarent, Sancta Sede ad  
normam iuris consulta, Ipsiusque  
venia die XI Octobris anni  
MDCCCCXXXXIII, Maternitati Beatae  
Virginis Mariae sacra, obtenta,  
Ordinarius Matritensis Opus Dei in  
Societatem vitae communis sine votis  
publicis iuris dioecesani, die VIII  
Decembris eiusdem anni, formaliter  
erexit. Postremis hisce annis, cum

iam plures quam viginti domos in  
quatuor Europae Statibus erectae  
essent, necnon una in Africa, et  
fundationes in America pararentur;  
cumque pariter socii in dies  
multiplicarentur, neque solum inter  
medicos, advocatos, architectos,  
exercitus duces, cultores scientiarum  
atque artium, publicos scriptores,  
professores Universitatum et  
Scholarum Superiorum omne genus,  
etc., sed inter alumnos quoque  
laicalium Facultatum, qui cum  
collegis fructuosum apostolatum  
exercent, invenirentur, haud  
immerito visum est tempus  
advenisse implorandi a Sancta Sede  
primam Operis Dei pontificiam  
approbationem. Quare Praesidis  
Generalis instantia SS.mo Domino  
Nostro exhibita est, fervida Exc.mi  
Ordinarii Matritensis  
commendatione fulta ac Litteris  
Testimonialibus aliorum sexaginta  
Ordinariorum, inter quos octo  
Eminentissimi Patres Cardinales

recensentur et omnes Hispaniae  
Metropolitani.

Dum Opus Dei has supplices Domino  
Nostro instanter preces exhibebat ut  
qua Societas vitae communis sine  
votis publicis Laudis Decretum  
impetraret, Constitutio Apostolica  
"Provida Mater Ecclesia" parabatur.  
In tam clarissima huius Documenti  
luce Institutum Opus Dei eiusque  
Constitutiones attente in S.

Congregatione perpensa sunt,  
speciatim illa quae de sua interna  
ordinatione, de regimine, de  
ministeriis, de vita communi latiore  
sensu sumpta, ardua videbantur ac  
novitatis speciem referebant, et clare  
patuit Opus Dei praeseferre  
exemplar germani Instituti  
Saecularis ab ipsa Constitutione  
Apostolica propositi. Hinc venia et  
iussu Sanetissimi Domini Nostri, in  
novo accuratiore ipsius Operis  
examine procedendi norma servata  
est, quae in Constitutione "Provida

Mater Ecclesia" (Art. VII, § 3) pro  
Institutorum Saecularium  
approbatione praescribitur.

Die VIII Junii MDCCCCXXXXVI  
Commissio Consultorum coadunata  
fuit, habitoque huius favorabili  
suffragio, Congressus Plenus S.  
Congregationis die XIV Februarii  
proxime elapsa celebratus est. Huius  
decisio in Audientia diei XXIV  
eiusdem mensis ab Em.mo Cardinali  
Praefecto SS.mi Domini Nostri  
approbationi et confirmationi  
subiecta est, atque SS.mus ipsam  
ratam habuit et confirmavit.

SOCIETAS SACERDOTALIS SANCTAE  
CRUCIS et OPUS DEI est Institutum  
Saeculare ad normam memoratae  
Constitutionis Apostolicae perfectioni  
christiana in saeculo acquirendae et  
apostolatui exercendo dicatum.  
Eiusdem finis generalis est sodalium  
sanetificatio, per consiliorum  
evangelicorum exercitium

peculiarumque Constitutionum  
observantiam; specialis autem -arete  
et intrinsece cum fine generali atque  
spiritu Instituti perpetuo coniunctus-  
est totis viribus adlaborare ut coetus,  
qui intellectualis dicitur, Christi  
Domini praeceptis, immo et consiliis,  
adhaereat, eademque in proxim  
deducat. Ad utrumque finem  
obtinendum Institutum exigit a  
propriis alumnis exquisitam animi  
culturam, tum in pietatis officiis tum  
in disciplinis sive ecclesiasticis sive  
profanis, ita ut sodales omnes viri  
Laurea doctorali in aliqua saltem  
disciplina ornati sint oporteat.  
Insuper Institutum solidam  
membrorum sanctitatem iugiter  
promovet per sanctificationem  
laboris ordinarii ac diligens  
accuratumque exercitium munerum  
professionalium officiorumque  
propriorum omnium, civilium seu  
politicorum, in quibus praecipue iure  
meritoque socii evangelicam  
perfectionem prosequuntur.

Opus Dei, etsi ex ordinaria membrorum suorum conditione, Institutum Saeculare laicale videatur (cc. 488, 4°; 673, § 2; Const. "Provida Mater Ecclesia", art. 1), tamen ratione Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis, quae ipsum penitus informat, consulto in Constitutionibus (n. 2) Institutum praevalenter clericale ē est, iuridice clericalibus Institutis aequiparandum.

Opus Dei ex duabus quasi sectionibus constat, virorum nempe ac mulierum, non modo ab invicem separatis, verum etiam penitus distinctis, propria cuiusque interna hierarchia, quae regimine centrali atque etiam guberniis seu directionibus regionalibus et localibus constituitur. Ipsae tamen sectiones in Patre seu Praeside Generali uniuntur, vel in eius delegatis; ac, in unaquaque Regione, in Consiliario Regionali: atque ab

ipsis tantum semper legitime  
repraesentantur.

Specificus sociorum Operis Dei apostolatus his praecipue exercetur: elevatióne et sanctificatione proprii laboris professionalis; per exempla vitae christianaे in propria sociali activitate; per formationem religiosam et professionalem studentium, ac praesertim alumnorum Universitatum Studiorum; in muneribus publicis exemplari fidelitate exercendis; per fidei catholicae doctrinae, verbo, scripto et omnibus mediis ad hoc aptis propagationem. Mulieres autem associatae regunt domus spiritualium exercitiorum; catholicae propagandae orali et scriptae incumbunt; alias mulieres instituunt, quas praeparant ad opera apostolatus; modestiam christianam fovent, apud mulieres, mediis quae ad hoc melius apta videantur; educationem puellarum promovent

et residentias pro illis, quae studüs  
vacant, moderantur; ac domos  
pariter ad praeparandas ancillas  
servitio domestico; denique  
familiarem administrationem atque  
domesticam oeconomiam omnium  
domorum Instituti gerunt, in loco  
tamen penitus separato, ita ut iure  
semper unica erectione, facto vero ex  
regula duae semper habeantur  
separatae domus in unoquoque  
Operis Dei domicilio. Institutum,  
denique, per eius sodales promptum  
semper ac paratum est ad filas  
petendas regiones in quibus Ecclesia  
persecutionem patiatur, ve;  
quomodolibet ipsorum ministeria vel  
operam materne invocet. Attamen  
Opus Dei non habet specificam  
formam collectivae actionis  
externae: sed praeprimis sodalium  
formationem spiritualem et  
apostolicam prosequitur; deinde,  
apostolatum sodales exercent uti  
quilibet alii cives. Ad professionalem  
actionem, itemque ad doctrinas

sociales, politicas, etc., quod attinet, unusquisque Operis Dei socius, intra limites fidei et moralis catholicae, plena gaudet libertate; nec Institutum ullius cuiusque socii labores profesionales, vel activitates oeconomicas, etc., suas facit.

Cum sodales Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis et Operis Dei non sint religiosi ("Provida Mater Ecclesia", art. II, § 1), idcirco communem vitam religiosam non habent, neque religiosa vota emittunt, neque veste religiosa utuntur, sed externe in omnibus, quae secularibus communia sunt et a statu perfectionis non alienis, ut alii cives propriae conditionis ac professionis, se gerunt, vestiunt, vitam ducunt, atque hanc apostolorum vitam, orationi et mortificationi dediti hilares laetique degunt, ita ut eorum ascetismus sit revera ascetismus laetificans. Proinde sanctam laetitiam speciali ratione colere

debent, quae provenit ex  
generositate omnimodae traditionis  
servitio Ecclesiae. Omnes socii Operis  
Dei semper et ubique magnum  
amorem reverentiam et obedientiam  
Superioribus Ecclesiasticis exhibent,  
memores hierarchiam unam in  
Ecclesia iuris divini tantum existere,  
scilicet, ex Romano Pontifice atque  
Episcopis constitutam, quos Spiritus  
Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.  
Quapropter id animo omnes insitum  
habent, internam nempe  
hierarchiam servitio hierarchiae  
Ecclesiae plene esse consecratam.  
Item omni vi contendunt ut  
obligationes civicas adimpleant et,  
iuribus propriis utentes, dum diversa  
apostolatus opera exercent,  
maximam reverentiam et obsequium  
demonstrant legibus civilibus  
propriae regionis seu nationis, in  
quarum ambitu semper adlaborare  
intendunt.

His omnibus mature perpensis ac definitis, SS.mus Dominus Noster Pius PP. XII, attentis etiam Litteris non solum Antistitum in quorum dioecesibus Opus Dei domos habet et apostolatum exercet, sed aliorum plurium qui sponte primis in commendando hoc Instituto sese coniungere voluerunt, ipsum Opus Dei cum Societate Sacerdotali Sanctae Crucis ut Institutum Saeculare sub auctoritate unius Superioris Generalis, cuius munus ad vitam perdurat, ad normam Const. "Provida Mater Ecclesia" propriarurnque Constitutionum, quae a Sacra Congregatione de Religiosis revisae fuerunt et probatae, praesentis Decreti norma, laudat atque commendat, iuris pontificü ipsum declarat, salva Ordinariorum potestate, ad eiusdem Constitutionis Apostolicae tenorem.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis, die XXIV mensis Februarü anni MDCCCCXXXXVII.

L + S Al. Card. Lavitrano

Praef.

P. Arcadius Larraona, CMF

Subs.crius

A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

---

pdf | Documento generado automáticamente desde <https://opusdei.org/es-es/article/decretum-laudis-de-la-sociedad-sacerdotal-de-la-santa-cruz-y-opus-dei-como-instituto-secular-de-derecho-pontificio-24-11-1947/> (07/07/2025)